



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

V. Quatuor vitia seu nullitates Synodi Tyriæ. Hostes Athanasij à iudicio non rejecti. Delegati in Mareotidem ad testimonia recipienda, qui è cœtu illo erant suspectissimi. Delegatio decreta à parte ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

& in eo maximè differt à Donatistarum appellatione, quam idem religiosissimus Princeps meritò execratus est. de qua dicemus capite sequenti. Quæ explicatio, Novatorum quoque & aliorum aliquot opinionem refellet, qui iudicia canonica Principum imperio olim subiecta fuisse, hoc præcipuè argumento ducti, sibi persuadent.

V. Eusebiani & Meleriani, infensissimi Athanasij hostes, decantatam illam fabulam calicis fracti, altaris everfi, & Arsenij Episcopi ab Athanasio cæsi, in apertam accusationem vertunt; Synodum Tyriam à Constantino impetrant, quò se conferrent ex Europa, Asia, Africa, & Ægypto sexaginta Episcopi à Principe ad arbitrium accuatorum delecti, qui criminum delatorum cognitionem susceperent. Quò misit etiam Princeps Dionysium Consularem, ut in synodo omnium rerum gerendarum Episcopos admoneret, *atque animadversor esset & custos conservande æquilitatù & ordinis.* Concilium istud, quod partim ex Episcopis orthodoxis constabat, partim ex iis qui occultè Arrianam impietatem fovebant, omnem iudiciorum ordinem insuperhabuit. Etenim hostium Athanasij studii eò res provec̃ta est, ut Episcopi quidam in Mareotidem Ægypti regionem delegarentur, qui testimonia exciperent de calice fracto & altari everfo. In quo quatuor peccata fuerant contra iudiciorum ordinem & juris naturalis præscriptum. Primum est, quòd à reiectione seu reculatione hostium suorum Athanasius exciderit. Secundum est, delegationem datam ab adversariis Athanasij, non verò ab integro Concilio. Tertium, delegatos fuisse suspectissimos homines, imò verò & apertissimos Athanasij hostes. Quartum, absente Athanasio, nec vocato, aut ejus Clericis, testimonia recepta fuisse ex *μαροπερσῶν*. Itaque Episcopi Ægyptij libello hæc vitia synodo exponunt, obsecrantque ne delegationem illam, tam nefariè à paucis decretam, omnium sententia firment. Quotquot, inquit, *ex toto grege suspectissimi erant, Mareoten delegarunt.* Intra: *Ceterum quia post sutelas suas, submisissosque suspectissimos homines, audivimus eos singulos vestrum ambientes, postulare vestram subscriptionem, ut omnium vestrum Concilio id actum videri possit; ideo & nos ista scribimus, oramùsque, ut suscepto Dei timore, indignantisque sine vestra auctoritate illos missos esse, quos ipsi voluerunt, abstineatis à subscriptione, ne quas ipsi sutelas consuunt, eas tanquam vobis auctoribus factas jactitent.* Intra: *Æquum certè erat, siquidem Legati Mareoten mittendi fuerant, nos quoque unà cum illis presidè esse, ad hostes Ecclesie indicandos, peregrinòsque eliminan-*

dos, ut purum istius rei scrutinium haberi possit. Sanè Dionysius Comes iniquo animo ferebat Legatos communi omnium sententia decretos non fuisse, ut patet ex ejus epistola ad Eusebianos: *Cum admonerem vestram bonitatem, Legatos communi suffragio & iudicio delibandos esse.*

VI. Quapropter Athanasius & Episcopi Ægyptij libello contestatorio (qui hodie in foro evocatoriis diceretur) à Dionysio postulant ne calumniis confarcinatis det locum, utque negotium integrum Imperatori servet, ne infidiis ab Eusebianis confictis innocentes premerentur. Vnde colligere licet, dolum, infidias, calumniam, & hostium, qui in illo Concilio iudices sedebant, gratiam, Athanasio & Ægyptiis occasionem dedisse ut iudicij ecclesiastici cognitionem ad Consultorium Principis transferrent. Hoc docebunt verba ipsa libelli Dionysio oblata: *Cum multarum videremus calumniarum confarcinationem, & ex confarcinationibus infidias Eusebii, Narcissi, Flacilli, Theognij, Maris, Theodori, & Patrophili adversum nos, quos quia principio detrectantes rejicere non licuit, necessario ad hanc protestationem devenimus; præsertim cum animadvertimus multa ad gratiam Meletianorum, multa rursus ad insidias catholicae Ecclesie sub nostris criminibus agitari. Necessario ob id quoque hunc libellum tibi porrigimus, cum multis obsecrationibus, ut Dei metu in animo servato, qui imperium augustissimi & pientissimi Imperatoris Constantini tueretur, cognitionem causarum nostrarum ipsi augustissimo Imperatori reserves. Æquum est enim te ab Imperatore missum, negotium hoc integrum retinere.*

VII. Attamen insuperhabitis libellis contestatoriis, iudicium redditur in Athanasium absentem & inauditum, qui episcopali dignitate sententia Concilij Tyrij dejectus est. A qua sententia Constantinum appellavit, qui ejus causæ suscepit cognitionem, eò quòd Athanasius de vi sibi per insidias illata, adversus fas omne, conquerebatur. Cujus rei fidem facit rescriptum Constantini, quod extat apud Athanasium: *Ego quidem ignoro, inquit, quid sibi velint ista, quæ à vestra synodo pertumultum & tempestatem judicata sunt. Mihi sanè videtur nescio quo pacto veritas per immodestiam opprimi, dum per vestram contentionem, quam invictam cupitis, ea quæ Deo placent non consideratis.* Mox de Athanasio loquens: *Magna libertate nihil aliud postularit, quam ut vos huc evocari juberem; quò nobis presentibus, quæ per vim passus esset, conqueri posset. Quod cum mihi æquum & temporibus meis congruum videretur, scripto vobis denuntiatum volui, ut quotquot synodum Tyri absolvissetis, sine omni tergiversatione ad Prætorium nostre clementia*

Epistola Constantini apud Baron. an. 334. f. 2.

Libellus Episc. Ægyptij apud Baron. an. 335.

Socrates l. 5. c. 11. Græco: *ἡμεῖς ἀπὸ τῆς ἐκείνου ἐπιπέσει καὶ ἀπὸ τῆς ἐκείνου ἐπιπέσει καὶ ἀπὸ τῆς ἐκείνου ἐπιπέσει*

Socrates l. 5. c. 11. Græco: *ἡμεῖς ἀπὸ τῆς ἐκείνου ἐπιπέσει καὶ ἀπὸ τῆς ἐκείνου ἐπιπέσει*

Libellus contestatorij Dionysii Constantini apud Baron. an. 334. f. 2.

Throdia l. 5. c. 11. Græco: *ἡμεῖς ἀπὸ τῆς ἐκείνου ἐπιπέσει καὶ ἀπὸ τῆς ἐκείνου ἐπιπέσει*

Rescriptum Constantini apud Baron. an. 335. f. 2.

Socrates l. 5. c. 11. Græco: *ἡμεῖς ἀπὸ τῆς ἐκείνου ἐπιπέσει καὶ ἀπὸ τῆς ἐκείνου ἐπιπέσει*

Socrates l. 5. c. 11. Græco: *ἡμεῖς ἀπὸ τῆς ἐκείνου ἐπιπέσει καὶ ἀπὸ τῆς ἐκείνου ἐπιπέσει*